

icâ. Huc pertinet & adversarii, à quo vulnus inflictum est, præsentia; quâ de causa aliquoties sanguinem qui jam substiterat, iterum fluere cæpisse, compertum est. Notabile habet exemplum, Immortalis Noster Sennert. memini, inquit, cum frater fratrem vulnerasset, & ad vulneratum aliter, dū vuln9 deligaretur, accederet, (etsi jâ reconciliati essent) subito sanguinem, proculdubio ob occultam animi commotionem, erupisse, cum v. aditu postea prohiberetur, substitisse. Et tantum de hujus mali, Causis, Signis, & Curatione, quâ fieri potuit brevitate, dixisse sufficiat.

### Additamenta.

1. Caput, vel Nucha, in hæmorrhagiâ narium, non perfundenda sunt aquâ frigidâ; Nisi revulsiones aliæ præcesserint. Quod tamen Mulierculis nostris, ut usitatisimum, ita quandoq; perniciosissimum est.
2. Non omnia illa medicamenta, quæ sanguinis profluvium à peculiari vi, s. occultâ qualitate, compescere creduntur, propterea id præstant, sed quàm plurima ex illis, manifestè operantur.
3. Rerum rubrarum aspectus, commotâ Imaginatione, sed mediantib. humorib9 & spiritib. fluxum sanguinis concitat. Hocq; in Elephantis, Tauris, Gallis Indicis fieri, notissimum est.